

SECTIO IV.  
THERAPEVTICA;  
DE  
METHODO MEDENDI AFFE-  
CTIBVS CIRCA VENAM PORTAE.

**Q**Uatuor constituimus *causas*, a quibus perturba-  
tiones *venae portae* maxime dependeant: *Stagna-*  
*tionem, crassitiem, metum subsistentiae, & motus*  
*excussorios*. His occurrendum utique est ipsa *Therapia*,  
seu methodica medicatione.

*Stagnatio* sanguinis circa *venam portae*, uti vel a  
*generalis abundantia* sanguinis dependet; vel a *congestio-*  
*ne* universali, e reliquo corpore *exteriore* ad *interiora*:  
vel denique a *particulari impeditio* progressus in ipsa  
hac vena. Ita ad harum causarum diversitates instituen-  
da quoque est *specialis tractatio*.

Quae a *plethora* generali pendent, aut foventur ad  
minimum, *congestionis & cohibitionis* circa *venam portae*  
incommoda, *evacuatione* imminutoria, adeoque *ventila-*  
*toria* totius *massae* sanguinis, corrigenda sunt. Ubi qui-  
dem, ut recte dici posse arbitror, omnes *hypochondria-*  
*cos* esse *plethoricos*, ad minimum quoad ipsa *initia* sua-  
rum passionum; ita omnibus talibus *eventilationem* quo-  
que sanguinis non modo utilem, sed subinde quoque ne-  
cessariam esse, iusta consequentia subsumo. Tanto ma-  
gis, si in certis individuis, quod saepenumero occurrit,  
praecesserint frequentes *spontaneae* sanguinis *evacuatio-*  
*nes, narium haemorrhagiae*, aut in foeminis, *menses*; aut  
*arbitrariae* artificiales *venaesectiones, scarificationes*: Imo  
ipsae *violentae*, frequentiores, aut copiosiores *vulnerum*  
*haemorrhagiae*. Talibus enim plerisque omnibus, si vita  
otiosa,